

*nacissimo quidem, sed nisi me mea fallit opinio, publicè & priuatim hominum generi perquam necessario studio & contentione impenderunt. Sic scilicet nec illos consily, nec lucubrationum & vigiliarum suarum pœnitebit unquam: alijs verò quibus tantum ingenij datum fuerit, maximum calcar addetur, ut omnes neruos intendant, cum in hanc, tum ceteras Sapientia disciplinas, antiquitate, dignitate & necessitate laudatissimas, & hominum generi saluberrimas, illustrandas atq; exornandas. DEVS Opt. Max. cuius non modò gloriam cœli enarrant, sed & curam atq; amorem in genus humanum omnibus momentis demonstrant, faxit, ut T. C. quæ more & exemplo laudatissimorum principum & regum, qui flos humani generis fuerunt, tam præclare de studijs Mathematicis mereri cœpit, salua & incolumis, quàm diutissimè communis PATRIAE laudem & gloriam augere & amplificare possit. CAL. Augusti Anno CIO. IO. XCVI. in Palatinatu.*

T. Illustrissimæ Celsitudinis

*Observantis. & addictis.*

L. Valentinus Otho.

